



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM IX.

Gigantomachia.

1. *Metam.*

Ethicè.

1. Contemptus Religionis. 2. Stolidi arrogantia. 3. Lethifera noxa. 4. Inconsulta ferocia. 5. Temeraria cæpta. 6. Seditio populi in Magistrat^o.

Gigantes è Terra matre feruntur progeniti, unde dicti sunt *Terrigenæ*, & *Vrano*, qui *Cœlus* latinè. Titanem, qui Saturni frater erat, patrem habuere: nomen ipsis à *γίγνομαι* nascor, & *γῆ*, seu *γῆ* Terra; homines staturæ celsissimæ robore prævalido, aspectu horribili, capillo barbaque promissis, pedibus anguineis (unde *anguipedes*) in perniciem & contemptum deorum procreati, superis bellum intulerunt, Jovémque de cœli possessione deijcere conati sunt. Unde etiam *Titanes* dicti, à verbo *τίτάνω* extendo, quòd extendentes manus suas, & vi agentes, injuriam facerent. Quidam à *πόρος* *πόρος*, à pœna seu ultione denominatos putant. Montes imponendo montibus invaserunt cœlum, & Deos omnes in magnum metum conjecere. Denique tamen Cœlicolùm armis, Jovis præsertim fulmine prostrati, inque Tartarum detrusi, pœnas impietatis suæ luère.

(a) Fabulandi occasionem sumpsere Poëtæ ex historia sacra, in qua Gen. 6. dicitur *Gigantes autem erant super terram in diebus illis; postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt; isti sunt potentes à saculo viri famosi.* Ubi Commentatores exponunt, fuisse vastos ac proceros homines, viriùmque fiduciâ in alios, violentos; qui nati sunt ex filiabus Caini, quibuscum inconcesso amore filij *Sethi*, viri religione præstantis, consueverunt, & per ardorem libidinis vastissimos ac validissimos homines progenuerunt. Qui, cum non minùs libidine, quàm parentes fuerent, demum iram Dei, & vindices Diluvij aquas provocarunt. Dicuntur autem molitiones suas usque ad cœlum eduxisse, quia progenies ipsorum militare quasi classicum adversus superiores cecinit, dum mutuò se hortantur: *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.*

Gen.

(a) *Gigantes ex Ss. lucris.*

Gen. 11. Ita montibus montes, saxa saxa sunt superimposita, & ageres erecti, ad cœlum gigantæo more oppugnandum. Ovid. 1. Metam.

Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes

Virgil. 1. Georg. canit Terram partu nefando creasse
Nam

-----Conjuratos cœlum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossæ frondosum imponere Olympum:
Ter Pater extractos dejecit fulmine montes.

Et Ovidius:

Jupiter omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossæ.

Originem Gigantum idem describit lib. 5. Fastor.

Terra feros partus, immania monstra, Gigantes
Edidit, aufuros in Jovis ire domum.

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues,
Atque ait, in magnos arma movete Deos.

Extruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Jovem.

Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce,
Vertit in autores pondera vasta suos.

Tradunt eos habitasse in campis Phlegæis Thessaliæ, atque inibi bellum cum dijs commisisse, altissimos montes conscendisse, ignitas arbores & ingentia saxa in Deos jaculatos esse; quorum ea, quæ in mare deciderunt, insulas: quæ in terram, montes esse factos; primoque conspectu suo, audacia atque temeritate tantum dijs metum injecisse, ut cum primùm Typhoëus eis visus, omnes in Ægyptum aufugerint: ubi longo itinere defessi, ac spe fugæ destituti, se in varias animalium formas transformarint & occultarint, uti canit Ovid. lib. 5. Metam. atque ob eam causam Ægyptios ea ipsa animalia, in quorum se dii speciem induerant, pro Numinibus coluisse, Cùm verò tandem ex fuga se collegissent superi, occisos gigantes, alios quidem ab alijs Dijs, sed præcipuè Palladis consilio, & viribus Herculis, ac fulmine Jovis in Tartarum decurbatos. Virgil. lib. 6. Æneid.

Hic genus antiquum Terræ Titania pubes
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

Porro

Porrò Gigantes, de quibus mentio in SS. Scriptura, notantur quinque maximè rebus fuisse insignes, nempe vastitate corporis, robore virium, superbiâ, crudelitate, libidine. De vastitate Typhoëi, seu Typhonis Ovid. 5. Metam. scribit, eum tantæ fuisse magnitudinis, ut cum Sicilia tribus promontorijs claudatur, tota supra corpus ejus fulminatum posita sit; & quidem supra dextram ejus manum *Pelorus* mons, Italiam prospiciens: supra lævam *Pachinus* Græciam respiciens, supra crura *Lilibæus* Libiam versùs porrectus; supra caput *Ætna*, in ipsa insula altissimè eminens, ubi pars gigantum trisulco Jovis igne perijt. Quod Ovidius de Typhone, id de Encelado Maro 3. *Æneid.* tradit:

Fama est Enceladi semjstum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque insuper *Ætnam*
Impositam, ruptis flammam spirare caminis,
Et fessum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.

Non minùs eleganter Claudianus de raptu Proserpinæ
Ætna gigantæos nunquam tacitura triumphos
Enceladi bustum; qui faucia membra revinctus
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur,
Et quoties detrectat onus cervice rebelli
In dextrum, lævumque latus, tunc insula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus urbes.

Inter gigantes celebrantur centimanus Briareus *Æneid.* 6. & *Ægæon* *Æneid.* 10.

Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse: Jovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses.

Horatius lib. 3. Od. 4. meminit Mimantis, Porphyrionis, Rhœci, centimani Gyæ, Tityi &c. Hæc ad eruditionem, nunc ad mores.

Ethica.

(a) Habet hæc fabula multiplicem explicationem. Nam primò Macrobius lib. 1. Sat. c. 20. ait, Gigantes fuisse hominum quandam gentem impiam, Deos negantem: & ideo existimatam, Deos è cœlo pellere voluisse.

(a) Gigantes sunt Athei, & contemptores religionis.

luisse. Horum pedes in draconum seu serpentum volumina definebant; quod significat, nihil eos *rectum*, nihil superum aut sublime cogitasse, totius vitæ eorum gressu & processu in inferna vergente. Hæc ille. Id ipsum jam antè S. Historia de gigantibus, Terræ filijs, nihil nisi terrena cogitantibus indicavit Gen. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Cicero quoque eos gigantibus comparat, qui Mundo providentiam seu Rectorem præesse inficiantur; nam in Catone majore ait: Quid enim est aliud, Gigantum more bellare cum Dijs, nisi naturæ repugnare? Hæc enim docet, Mentem aliquam esse supremam, quæ cuncta gubernet. Deum verò negare, est idem, ac Deum cælo pellere velle. Nempe juxta regium Psaltes, *Dixit insipiens, non est Deus.* Psal. 52. Explicat hoc Natalis Comes in Mythologia lib. 6. c. 21. Gigantes inquit, crudeles & temerarij, qui nihil honestum esse putarunt, nisi quod placuisset; vel Jovem ipsum de cælo pellere ausi sunt. Id ego nihil aliud esse crediderim, nisi vácordes homines, quibus libido & impetus animi dominatur, Deos omnes contemnere, ac pro viribus suis religionem evertere, cum religio omni temeritati & improbitati sit adversaria. Nam sine religione, & Deorum metu, nihil neque justum, neque pium, neque sanctum fieri potest. Verùm quia scelerum omnium comes est supplicium & pœna, & miseriæ (Deus enim est gravissimus flagitiorum vindex) illi non injuria ab Hercule & Pallade, & dijs cæteris profligati, acerbissimisque supplicijs addicti sunt, cum nemini esse scelerato impunè denique liceat. Ita ille contra Atheos, etiam nostri temporis Gigantes.

II. (b) Secundò dicuntur illa hominum monstra montes imposuisse montibus, & simul cum aggestis illis molibus, fulmine fuisse dejectos: quod superbis meritò contingit, quibus Deus resistit, tantòque profundius eos deprimit, quantò altius eniti conantur. Jobus cap. 26. ait: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* Docuit hoc Diluvium, quando fluctus immanes contra vâsanos mortales insurrexerunt, & in imo sepelierunt. De quibus etiam Isaias c. 26. *Terram gigantum derrabes in ruinam.* Et Siracides c. 16. *Antiqui gigantes destructi sunt, confidentes sua virtuti.*

III. (c) Tertiò, sicut Lucifer in cælo suis cum asseclis bellum movit Deo, ita contra æternum Numen insurgunt in terra, quicumque lethifero sese crimine obstringunt; perditì, projectique Terræ filij. Unde

F

psal.

(b) Per gigantes demonstrantur Superbi, (c) per gigantes indicantur peccatores scelesti.

Pfal. 118. vocantur *Peccatores terra*; quippe qui terrestribus & brutis cupiditatibus abrepti, cœlestia contemnunt, Deum ipsum cœlo detrahturi, si possent vindicem ejus manum exarmare. De his psalmus 36. *Gladium evaginaverunt peccatores.* Sed gigantes hos potentior Gigas debellat, de quo Jobus c. 16. *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Et Isaias 41. *Ecce confundentur, & erubescunt omnes, qui pugnant adversum te: erunt, quasi non sint: peribunt viri, qui contradicunt tibi. Queres eos, & non invenes, viros rebelles tuos, erunt quasi non sint: & veluti consumptio homines bellantes adversum te.*

IV. (d) Quartam Horatius doctrinam suggerit, dum canit:
Vis consilii expers mole fuit sua.

Vanæ sine viribus iræ, & vanæ sine mente vires: Proxima ruinæ est inconsulta ferocia. Ut cœlum oppugnarent, cæca temeritas impulit gigantes, è terra ortos, in terram redituros: Polyphemus quale corporis monstrum! ab Ulyssæ tamen delusus & interemptus est: cur? unoculus fuit, cui lumen rationis ademptum. Quis robustior Milone Crotoniate? stolidi virium præsentia ipsum perdidit, dum conatus fissam quercum manibus divellere, intra fissuram hæsit, miserimèque periit. Nimirum, plerumque ubi plus est corporis, ibi minus est mentis. Et verum est illud:

Vis multa, sed consilium plura perficit.

In cœlo propugnando plurimum potuere Pallas & Hercules, Sapiencia cum Fortitudine juncta. Ex Ovidio discite, Jovem in sua oratione de extinguendo genere humano, boni Principis officium ostendisse, dum ait:

Cuncta prius tentanda; sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est; ne pars sincera trahatur.

Rectè Seneca: Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Et Tullius in Catilin. 2. Quæ sanari poterunt, quacunque ratione sanabo: quæ ressecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere.

V. (e) Quintò non malè accommodabitur Gigantum fabula ad illos, qui nimis ardua consilia suscipiunt, & fiducia ingenij elati, pede suo se metiri nesciunt; nec antè in altum eniti, & ipsum Jovis solium captare desinunt, quàm vi & mole cœpti temerariè negotij obruti, turpiter deficiunt ac succumbunt. Tales gigantes proponit nobis historia Romana in Cornelio Sylla, C. Mario, L. Catilina, M. Manlio, L. Lentulo,

(d) Vana sunt vires sine consilio (e) Stolidi præsentia.

tulo, M. Antonio, C. Cassio, Bruto, Sext. Pompeio, aliisque, qui omnes montibus illis, quos congesserant, id est conatibus temerario ausu susceptis oppressi, penas dederunt.

VI. (f) Sextò, non injuria *δεσποχέτω*, seu cum Dijs pugnare dicuntur, qui per seditiones & motus intestinos, Principum ac Magistratum, qui Dijs nominantur in SS. litteris, auctoritatem, opes, eminentiam, postremo vitam eversum eunt; qui vel suis armis, quæ injustè in superiores arripuerant, confossi intereunt; vel à populari multitudine, quam ipsi ad sceleris Societatem & ministerium exciverant, cum res è voto non succedit, opprimuntur. Fulmen Jovis in Gigantes detortum, est vindicta divina à justissimo Deo de ijs sumpta, qui rebelles & contumaces vel in suam majestatem, vel in legitimè prapósitos improba moliuntur ac machinantur.

Hic adverte ansam Gigantibus arma in cælum moliendi præbuisse superum inter se discordiam, quare defuncti hoc periculo aram inter Aëtra statuere, flore ac lemniscis redimitam, ardente flamma; in quam ita lusum:

Anguipedes postquam, perjura cæterua, gigantes
Montibus exusti succubuere suis.
Hanc aram statuere Dij, cum mutua pacti
Foedera, juratas conservare manus.
Si prius in superis concordia tanta fuisset:
In Superos nullus verteret arma Gigas.

SYMBOLUM X.

Lycaon in lupum abit; ejus filia Callisto in ursam.

1. & 2. *Metam.*

Ethicè.

1. Homo similis bestia.
2. Tyranni imago.
3. Gulosus & avarus.
4. Physiognomia causam præbit Poëtis fingendi metamorphoses.
5. An fiat mutatio hominis in bestiam?
6. Quid intelligatur per has metamorphoses Poëticas?
7. Callisto cur in ursam?

Fuit vir hic Arcadiæ rex, qui ob impietatem, perfidiam, inhospitalitatem in lupum transformatus est. Res ita contigit. Jupiter Deorum

(f) *Seditiones in magistratum.*

F 2

rum